

DOMINICA II IN QUADRAGESIMA

SERMO ALTER

S. ANTONII PATAVINI, O.Min.
DOCTORIS EVANGELICI

Themata sermonis

Item Evangelium in eadem dominica: *Egressus Iesus*.
In primis sermo ad praedicatores, ibi: *Egressus est Israel*.

Item sermo de mundi contemptu, ibi: *Egressus Iacob de Bersabee*.

Item sermo ad poenitentes, ibi: *Quae prius nolebat tangere*, et de triplici tentatione diaboli, et quot modis eveniat pollutio nocturna.

Item sermo ad religiosos, ibi: *Et tu fili hominis, sume tibi frumentum*.

Item sermo de confessione, in qua quinque sunt necessaria, ibi: *Egressus Iesus secessit in partes Tyri et Sidonis*, et de quattuor quae sunt in arcu et cithara.

Item sermo contra curiosos et circa saecularia vagantes, ibi: *Egressa est Dina*.

Exordium. Sermo ad praedicatores

1. --- *Egressus Iesus, secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier Chananaea, a finibus illis egressa, clamavit dicens: Miserere mei, Domine, fili David etc. (Mt 15, 21-22).*

Dicitur in primo libro Regum: *Egressus est Israel obviam Philistiim in proelium, et castrametatus est iuxta lapidem adiutorii (1 Reg 4, 1)*. Israel interpretatur semen Dei [Haec interpretatio est nominis *lezrael*, *Israel* autem interpretatur vir videns Deum], et significat

praedicatorem vel ipsius praedicationem, de qua dicit Isaias: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, idest praedicationem, quasi Sodoma fuisset, et quasi Gomorra similes essemus (Is 1, 9)*. Hic debet egredi obviam Philisthiim in proelium. Philisthiim interpretatur potione cadentes, et significat daemones, qui potione superbiae inebriati, de caelo ceciderunt. Contra hos tunc egreditur in proelium, cum per suam praedicationem de eorum manibus nititur eruere impium, sed hoc non potest facere nisi castrametatus fuerit iuxta lapidem adiutorii.

Lapis adiutorii est Christus, de quo dicitur in historia praesentis dominicae: *Tulit Iacob lapidem, et supponens capiti suo, dormivit (Gen 28, 11)*. Sic praedicator lapidem adiutorii, Iesum Christum, capiti, idest menti suae, debet supponere, ut in ipso quiescat et in ipso et per ipsum daemones devincat; et hoc est quod dicitur: *castrametatus est iuxta lapidem adiutorii*, quia iuxta Iesum Christum, qui est adiutor in tribulationibus, de ipso confidens, ipsi totum attribuens, castra suae conversationis metari et tentoria suae praedicationis debet figere.

In nomine ergo Iesu Christi egrediar contra Philisthaeum, contra daemonium, ut de eius manu liberare valeam in ista praedicatione peccatorem, peccato captivum, de illius gratia confisus, qui egressus est in salutem populi sui (Cf. Hab 3, 13). Unde dicitur in lectione praesentis Evangelii: *Egressus Iesus, secessit in partes Tyri et Sidonis*.

2. -- Nota quod summa huius Evangelii in tribus maxime consistit: In Iesu Christi egressione, in mulieris chananaeae pro filia a daemonio vexata petitione et in ipsius filiae liberatione. Quodlibet istorum trium quid moraliter significet videamus.

I - De Iesu egressione, seu de viri poenitentis egressione de mundi vanitate

3. --- *Egressus*, inquit Matthaeus, *Iesus* etc. Egressio Iesu viri poenitentis de mundi vanitate egressionem significat, de quo legitur et cantatur in historia praesentis dominicae: *Egressus Iacob de Bersabee, pergebat Haran (Gen 28, 10)*. Ecce concordia utriusque Testamenti: *Egressus*, inquit Matthaeus, *Iesus, secessit in partes Tyri et Sidonis*; et: *Egressus*, inquit Moyses in Genesi, *Iacob de Bersabee, pergebat Haran*. Iacob interpretatur supplantator et significat peccatorem conversum, qui sub planta rationis conculcat sensualitatem carnis. Iste egreditur de Bersabee, quae interpretatur puteus septimus et significat huius mundi insatiabilem cupiditatem, quae est radix omnium malorum (Cf. 1 Tim 6, 10). De quo puteo dicit Ioannes in Evangelio, ubi ponit verba Samaritanae cum Iesu loquentis: *Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est (Io 4, 11)*. Et subiunxit Iesus: *Omnis qui biberit ex aqua hac sitiet iterum (Io 4, 13)*. O Samaritana, vere, vere dixisti, quia puteus altus est; mundi enim cupiditas alta est, quia caret fundo sufficientiae. Et ideo omnis qui biberit ex aqua huius putei, per quam divitias et delicias transitorias intelligimus, sitiet iterum. Vere iterum, quia, ut dicit Salomon in Parabolis, *duae sunt filiae sanguisugae dicentes: Affer, affer (Prov 30, 15)*. Sanguisuga est diabolus, qui sanguinem animarum nostrarum sitit et sugere cupit. Huius sunt duae filiae: divitiae scilicet et deliciae, quae semper dicunt: *Affer, affer, et numquam Sufficit*.

Item, de hoc puteo dicitur in Apocalypsi: *Ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnae, et obscuratus est sol et aer. Et de fumo putei exierunt locustae in terram (Apoc 9, 2-3)*.

Fumus excaecans oculos rationis ascendit de puteo mundanae cupiditatis, quae est fornax magna Babylonis. Ex isto fumo sol et aer est obscuratus. Sol et aer religiosos significant. Sol, quia puri, calidi et lucidi: puri castitate, calidi caritate, lucidi paupertate; aer, quia aerei, idest contemplativi, debent esse.

Sed, peccatis nostris exigentibus, exivit fumus de puteo cupiditatis et omnes iam infumavit. Unde deplorat Ieremias in Threnis: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus! (Lam 4, 1)*. Sol et aurum, aer et color optimus idem significant: splendor solis et auri est obscuratus; aer et color est immutatus. Et vide quam proprie dixit *obscuratus* et *immutatus*. Fumus enim cupiditatis obscurat splendorem religionis et infumat colorem optimum caelestis contemplationis, in qua facies animae mixtim perfunditur optimo colore, candido scilicet et rubicundo: candido scilicet dominicae Incarnationis, rubicundo eiusdem Passionis; candido eburneae castitatis, rubicundo ardenti desiderio sponsi caelestis.

4. --- Iste optimus color, heu! heu! hodie immutatur, quia fumo cupiditatis infumatur, de quo adhuc scribitur: *Et de fumo putei exierunt locustae in terram*. Locustae, propter saltum quem faciunt, significant omnes religiosos, qui, iunctis duobus pedibus paupertatis et obedientiae, debent saltare ad altitudinem vitae aeternae. Sed, proh dolor! retrogrado saltu de fumo putei exierunt in terram et, ut dicitur in Exodo, operuerunt superficiem terrae (Cf. Ex 10, 5). Hodie non fiunt nundinae, non celebrantur curiae saeculares vel ecclesiasticae, in quibus non invenias monachos et religiosos. Emunt et revendunt, aedificant et destruunt, mutant quadrata rotundis. In causis partes convocant, coram iudicibus litigant, decretistas et legistas conducunt, testes inducunt, cum ipsis parati iurare pro re transitoria, frivola et vana. Dicite mihi, o fatui religiosi, si in prophetis vel Christi evangeliiis,

aut Pauli epistolis, si in sancti Benedicti regula, vel beati Augustini, istas litigationes et evagationes et causarum, pro re transitoria et peritura, acclamations et protestationes invenistis. Immo dicit Dominus apostolis, monachis et omnibus religiosis, non consulendo sed praecipiendo, quia viam elegerunt perfectionis: *Dico, inquit, vobis, in Evangelio Lucae, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos; benedicite maledicentibus vobis, orate pro calumniantibus vos. Et qui te percusserit in maxillam, praebe ei et alteram. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, et tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te tribue; et qui aufert quae tua sunt, ne repetas. Et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter. Et si diligitis eos qui vos diligunt, quae vobis est gratia? Nam et peccatores diligentes se diligunt. Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quae vobis est gratia? Siquidem et peccatores haec faciunt (Lc 6, 27-33).* Haec est regula Iesu Christi omnibus regulis, institutionibus, traditionibus, adinventionibus praefenda, quia *non est servus maior domino suo, nec apostolus maior eo qui misit eum (Io 13, 16)*. Attendite, audite et videte, universi populi, si est dementia, si est praesumptio sicut praesumptio eorum. In regula vel institutione ipsorum continetur quod quilibet monachus, vel canonicus, habeat duas vel tres tunicas, duo paria subtelarium, hiemi et aestati convenientia. Si vero forte fortuito evenerit quod ista loco et tempore non habeant, dicunt quod ordo non observatur, eo quod in regula ita miserabiliter peccatur. Vide quam studiose servant regulam, vel institutionem corporis; et regulam Iesu Christi, sine qua ipsi non possunt salvari, aut parum aut nihil custodiunt.

Quid etiam dicam de clericis et Ecclesiae praelatis? Si aliquis episcopus vel Ecclesiae praelatus contra decretalem Alexandri, vel Innocentii, vel alterius papae fecerit, statim accusatur, accusatus convocatur,

convocatus convincitur, convictus deponitur. Si vero contra Evangelium Iesu Christi, ad quod principaliter servandum tenetur, aliquod mortale commiserit, nemo est qui accuset, nemo est qui corripiat. Omnes enim diligunt quae sua sunt non quae Iesu Christi (Cf. Phil 2, 21). Et ideo ipse Christus de his omnibus, tam religiosis quam clericis, dicit in Matthaeo: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hypocritae, bene de vobis prophetavit Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me; sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum (Mt 15, 6-9).* Et iterum dicit in Luca: *Vae vobis pharisaeis, quia decimatis mentham et anetum et rutam et omne olus, et praeteritis iudicium et caritatem Dei. Haec autem oportuit facere, et illa non omittere. Vae vobis pharisaeis, qui diligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro. Et vobis legisperitis vae, quia oneratis homines oneribus quae portari non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas. Vae vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiae: ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis (Lc 11, 42-43.46-52).* Bene ergo dicitur in Apocalypsi, quod *ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnae, et obscuratus est sol et aer, et de fumo putei exierunt locustae in terram.*

5. --- Et nota quod puteus mundanae cupiditatis dicitur septimus puteus, et hoc duabus de causis: vel quia est sentina et lacus septem criminalium; *cupiditas enim, ut dicit Apostolus, est radix omnium malorum (1 Tim 6, 10);* vel quia, sicut septima dies non legitur in Genesi habere vesperam, sic nec cupiditas sufficientiae habet fundum. De hoc ergo infelici puteo egreditur peccator poenitens, de quo dicitur: *Egressus Iacob de Bersabee, pergebat Haran. Et egressus Iesus, secessit in partes Tyri et Sidonis.*

Quid ista tria nomina Tyrus, Sidon, Haran significant videamus. Tyrus angustia interpretatur; Sidon venatio moeroris; Haran excelsa vel indignatio. Poenitens ergo, egressus de mundi cupiditate, secedit in partes Tyri, idest angustiae. Nota quod vere poenitentis duplex est angustia: prima est quam habet pro peccatis quae commisit, secunda quam sustinet pro triplici tentatione diaboli, mundi et carnis. De prima dicit Iob: *Quae prius tangere nolebat anima mea, nunc prae angustia cibi mei sunt (Iob 6, 7)*. Poenitenti enim, prae angustia contritionis, quam sustinet pro peccatis, vigiliarum instantia, lacrimarum abundantia, ieiuniorum frequentia, sunt quasi quidam cibi delicatissimi; quae priusquam rediret ad poenitentiam anima, idest sensualitas eius, temporalibus satiata, tangere abhorrebat. Unde Salomon in Parabolis: *Anima satiata calcabit favum, anima vero esuriens etiam amarum pro dulci sumet (Prov 27, 7)*.

6. --- De secunda angustia triplicis tentationis viri iusti, dicit Isaias: *Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto vastitas venit, de terra horribili. Visio dura nuntiata est mihi. Propterea repleti sunt lumbi mei dolore; angustia possedit me sicut angustia parturientis; corruui cum audirem, conturbatus sum cum viderem. Emarcuit cor meum, tenebrae stupefecerunt me (Is 21, 1-2.3-4)*.

Nota omnia verba ista: in turbine, diaboli suggestio; in vastitate, mundi cupiditas; in visione dura tentatio carnis intelligitur. Turbines ergo ab Africo venientes sunt diaboli suggestiones, animam poenitentis turbantes et tribulantes. Unde dicitur in Iob: *Repente ventus vehemens irruit a regione deserti et concussit quattuor angulos domus; quae corruens oppressit (Iob 1, 19)* filios Iob. Ventus vehemens, irruens a regione deserti, est repentina suggestio diaboli, quae aliquando ex improvise ita fortiter irruit, quod quattuor angulos domus, idest quattuor principales virtutes animae viri iusti, a fundamentis

excudit et aliquando in mortale peccatum, heu! corruere facit: et sic filii Iob, idest opera vel affectus viri iusti, moriuntur.

7. --- Item vastitas de deserto veniens est cupiditas, quae de deserto, idest mundo, bestiis pleno venit, et paupertatis divitias in sancto viro, poenitente contrito, vastare cupit. Unde Iob: *Ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis (Iob 1, 19)*. Ignis, idest cupiditas, comedit, idest devoravit, speciosa deserti, idest praelatos et ministros Ecclesiae, qui in deserto huius mundi sunt constituti et ad speciem et decorem ipsius Ecclesiae a Deo sunt dati. Et flamma avaritiae succendit omnia ligna regionis, idest omnes religiosos, qui bene dicuntur ligna regionis. Regio est religio, in quam de regione dissimilitudinis, idest mundanae vanitatis, transplantati sunt, ut afferant fructus gloriae caelestis.

8. --- Item visio dura, de terra horribili nuntiata, est tentatio carnis, quae bene dicitur terra horribilis, quia cogitationibus diversis, verbis aversis, operibus perversis, immunditiis et spurcitiis plurimis horrida et abominabilis.

Et nota quod carnis tentatio dicitur visio dura, eo quod principaliter in visione oculorum consistat. Unde PHILOSOPHUS: Prima iacula luxuriae, oculi. Et ideo deplorat Ieremias in Threnis: *Oculus meus depraedatus est animam meam (Lam 3, 51)*. Et beatus AUGUSTINUS: Impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Et ideo, ut dicit beatus GREGORIUS, deprimendi sunt oculi, quia sunt quasi quidam latrunculi, de quibus dicitur quarto Regum: Latrunculi furati sunt puellam de terra Israel, quae erat in servitio uxoris Naaman leprosi. Latrunculi sunt oculi, qui furantur puellam, idest pudicitiam et castitatem, de terra Israel, idest mente viri iusti, Deum videntis, et sic faciunt

eam servire uxori, idest fornicationi, quae est uxor Naaman leprosi, idest diaboli. Ex tali uxore leprosus diabolus multos generat filios et filias leprosas.

Vel aliter. Illa tentatio carnis dicitur visio dura, quae in visione somnii evenire solet, et hoc dicitur carnis pollutio, quae valde molestat et dure molestare debet mentem viri iusti. Unde dicit Iob: *Terrebis me, idest terreri permittes, per somnia, et per visiones horrore concuties. Quam ob rem suspendium elegit anima mea et mortem ossa mea (Iob 7, 14-15)*. Vir enim iustus, cum horrore illusionis vel visionis se senserit concuti, statim debet surgere et animam suam in caelestium contemplatione suspendere et ossa blandientis corporis, quae momentaneam delectationem persenserunt, gemitibus, tusionibus debet affligere.

Et nota quod haec pollutio quattuor modis solet evenire: aut evenit ex vasis, quo ille humor recipitur, repletionem; aut ex corporis debilitate, et tunc nullum aut minimum est peccatum; aut ex cibi et potus nimia superfluitate, aut ex praevia, cum consensu mentis, mulieris specie, et tunc omnino mortale.

Dicit ergo poenitens, qui egressus de Bersabee secessit in partes Tyri, idest angustiae: Sicut turbines, idest suggestiones ab Africo, idest diabolo, veniunt, sic vastitas, idest cupiditas omnia vastans, de deserto, idest mundo, venit; sic etiam de terra horribili, idest carne miserabili, visio dura tentationis nuntiata est mihi. Heu! heu! Domine Deus, in tanto turbine, in tanta vastitate, in tam dura visione, quo fugiendum? quid est agendum? Audi quid poenitens subiungit: *Propterea lumbi mei repleti sunt dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis*. Poenitenti. cum visio dura nuntiatur de terra horribili, lumbi eius replentur dolore non delectatione. Unde dicit cum Propheta: *Ure renes meos etc. (Ps 25, 2)*.

Et *angustia*, inquit, *possedit me*. Vere iste poenitens secesserat in partes Tyri, qui dicebat: *Angustia possedit me*. Et qualis angustia? *parturientis*. Sicut enim non est angustia super angustiam parturientis, sic non est angustia super angustiam viri iusti in tentatione positi. Unde dicitur in Exodo: *Oderant Aegyptii filios Israel, et affligebant illudentes eis; et ad amaritudinem perducebant vitam eorum (Ex 1, 13-14)*. Aegyptii sunt daemones, iniqui peccatores et motus carnales. Isti omnes odiunt filios Israel, idest viros iustos: daemones affligunt, iniqui peccatores eis illudunt, motus carnales ad amaritudinem vitam eorum perducunt.

9. --- Sequitur: *Corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem. Emarcuit cor meum, tenebrae stupefecerunt me*. Redde singula singulis. Dicit poenitens: *Cum audirem turbines ab Africo venientes, statim corrui in terram super faciem meam, obsecrans Dominum, ne me permitteret ab isto turbine asportari*. Vir enim iustus, cum audit diaboli suggestiones, statim debet corrui in orationem, quia *hoc genus daemoniorum non eicitur nisi in oratione et ieiunio (Mt 17, 20)*. *Conturbatus sum*, cum viderem vastationem cupiditatis mundanae venientem. Et bene dicit: *conturbatus sum*. Viro enim iusto, cum aliqua temporalium cupiditas vult arridere, statim ipse debet habere conturbatum animum et vultum, ne eis arrideat. *Emarcuit cor meum* ab humore luxuriae; *tenebrae* mortis aeternae *stupefecerunt me*, cum *de terra horribili visio dura nuntiata est mihi*. Sicut enim clavus clavum eicit, sic timor gehennae, delectationem luxuriae. Bene ergo dicitur de viro poenitente: *Egressus de Bersabee, secedit in partes Tyri, et pergit Haran*.

Et vide quam bene Tyrus et Haran, idest angustia et excelsa, concordant, quia qui vult ad excelsa pergere hoc sine angustia non potest facere. Sic poenitens, qui ad vitae aeternae plenitudinem vult ascendere, prius oportet

eum per Tyrum transire. Unde dicit Dominus in Luca: *Nonne sic oportuit pati Christum, ecce Tyrus, et ita intrare in gloriam suam? (Lc 24, 26)* ecce Haran. Quid igitur faciemus poenitenti de puteo mundanae cupiditatis egredienti et ad excelsa caelestis beatitudinis tendenti? Mons est excelsus, difficillimus ascensus et angustia plenus. Ne ergo deficiat in via, fabricemus ei scalam, per quam suaviter possit ascendere; de qua dicitur in historia praesentis dominicae: *Vidit Iacob in somnis scalam, stantem super terram etc. (Gen 28, 12).*

10. --- Nota quod haec scala duo habet brachia et sex gradus, per quos fit ascensus. Haec scala est poenitentis sanctificatio, de qua dicit Apostolus in hodierna epistola: *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in honore et sanctificatione (1 Thess 4, 3-4).* Huius scalae brachia sunt contritio et confessio. Sex gradus sunt illae sex virtutes, in quibus tota animae et corporis sanctificatio consistit: mortificatio scilicet voluntatis propriae, rigor disciplinae, virtus abstinentiae, consideratio infirmitatis propriae, exercitium vitae activae, contemplatio caelestis gloriae.

De his sex loquitur Dominus Ezechieli, dicens: *Et tu, fili hominis, sume tibi frumentum et hordeum et fabam et lentem et milium et viciam, et mittes ea in vas unum, et facies tibi panes (Ez 4, 1.9).* In frumento, quod moritur, cum in terram proicitur, nostrae voluntatis mortificatio designatur; in hordeo, quod habet tenacem paleam, rigor disciplinae; in faba, quae est cibus abstinentium, virtus abstinentiae; in lente, quae est minima et parvi valoris, consideratio infirmitatis nostrae; in milio, quod frequenti indiget cura, exercitium vitae activae; in vicia vel avena, quae in altum tendit, contemplatio caelestis gloriae intelligitur. Quia in his consistit sanctificatio et munditia nostra, ideo sumamus ea et mittamus in vas nostrum, de

quo dicit Apostolus: *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in honore et sanctificatione*; et ex istis sex faciamus nobis panes, quibus refecti possimus secedere in partes Tyri et pergere in Haran. Unde dicitur: *Egressus inde Iesus, secessit in partes Tyri.*

11. --- Sequitur: *et Sidonis.* Sidon interpretatur venatio moeroris. Nota quod venator, qui bonam vult facere venationem, quinque debet habere: cornu sonorum, canem velocem et animosum, iaculum limatum et acutum, pharetram cum sagittis et arcum. Cornu, ut personet; canem, ut capiat; iaculum, ut interficiat; sagittas et arcum, ut bestias, quas cominus iaculo non potest interficere, eminus sagittis feriat.

Venator est poenitens, cui loquitur Pater in historia praesentis dominicae: Tolle arma tua, pharetram et arcum, et affer mihi de venatione tua, ut comedam et benedicat tibi anima mea (Cf. Gen 27, 3-4). Arma filii poenitentis sunt pharetra et arcus; sagittae in pharetra sunt punctiones et dolores contritionis in corde, de quibus dicit Iob: *Sagittae Domini miliant in me, quarum indignatio ebibit spiritum meum (Iob 6, 4).* Domini sagittae sunt cordis compunctiones, quae misericorditer vulnerant cor peccatoris, ut, contra se ipsum de peccato indignans, superbiae spiritum humiliet. Et hoc est quod subiungitur: *Quarum indignatio ebibit*, idest consumit, *spiritum meum*, idest superbiam meam. In arcu notatur confessio. Unde Dominus in Genesi: *Ponam*, inquit, *arcum meum in nubibus caeli, et erit signum foederis inter me et terram (Gen 9, 13)*; inter Deum et terram, idest peccatorem, cui dictum est: Terra es et in terram ibis (Cf. Gen 3, 19), ponitur arcus confessionis, quae est signum foederis, pacis et reconciliationis. Et vide quam proprie arcus confessionem significet.

12. --- Nota quod in arcu sunt quattuor, duo scilicet

cornua flexibilia, medium durum et inflexibile; habet etiam chordam mollem, per quam ipsa cornua flectuntur. Similiter in confessione debent esse quattuor. Duo cornua confessionis sunt dolor de peccatis praeteritis et timor de poenis aeternis; medium durum et inflexibile est firmum propositum, quod debet habere poenitens, ne ultra revertatur ad vomitum; chorda mollis est spes veniae, quae vere illa duo cornua, doloris et timoris, a sua rigiditate flectit. Ex tali ergo arcu emittuntur *sagittae potentis acutae (Ps 119, 4)*.

Item, venator, idest poenitens, debet habere cornu sonorum, canem et iaculum. In cornu, clamor nudae accusationis; in cane, latratus conscientiae mordacis; in iaculo vindicta propriae animadversionis vel satisfactionis notantur. Debet enim peccator cum arcu confessionis habere cornu nudae accusationis et canem conscientiae mordacis, ne aliquid de peccato et circumstantia peccati intactum permittat. Debet etiam habere iaculum animadversionis, indignationis et satisfactionis, ut seipsum feriat, sibi ipsi indignetur, pro peccatis suis satisfaciat, ut quot habuit in se oblectamenta, tot de se inveniat holocausta. Haec est bona venatio, de qua dicit Pater filio: *Affer mihi de venatione tua, ut comedam et benedicat tibi anima mea*. De hac ergo venatione dicitur in praesenti Evangelio: *Egressus Iesus, secessit in partes Tyri et Sidonis*. Sequitur secundum.

II - De mulieris Chananaeae petitione pro filia a daemone vexata, seu de oratione animae poenitentis

13. --- *Ecce mulier Chananaea, a finibus illis egressa, clamavit dicens: Miserere mei, fili David; filia mea male a daemone vexatur (Mt 15, 22)*. Nota quod mulier Chananaea tunc exit, tunc pro filia fundit preces, cum Iesus in partes Tyri et Sidonis secedit; quia cum peccator

de mundi et suae carnis insatiabilis voragine egreditur, et in partes Tyri, idest angustiae, quam habet in contritione, et Sidonis, idest venationis, quam debet facere in confessione, secedit, tunc mulier Chananaea, idest peccatrix anima, iniquitatem suam quam prius recognoscens, incipit clamare dicens: *Miserere mei, Domine, fili David*. Haec debet esse propria oratio animae poenitentis, quae, exemplo David, qui post adulterium et homicidium veram egit poenitentiam, ad poenitentiam convertitur. Dicit ergo: *Miserere mei, Domine, fili David*, ac si diceret: O Domine, ideo de familia et tribu David accepisti carnem, ut peccatoribus conversis, qui exemplo David de misericordia tua sperant et poenitentiam agunt, remissionis gratiam infundas et manum misericordiae porrigas. *Miserere ergo mei, fili David*.

14. --- *Qui non respondit ei verbum (Mt 15, 23)*. O divini consilii arcanum! O aeternae sapientiae inscrutabile profundum! Verbum, quod in principio erat apud Patrem, per quod facta sunt omnia (Cf. Io 1, 1.3), non respondet mulieri Chananaeae, poenitenti animae, verbum! Verbum, quod linguas infantium facit disertas (Cf. Sap 10, 21), quod dat os et sapientiam (Cf. Lc 21, 15) non respondet verbum! O Patris Verbum, omnia creans et recreans, omnia gubernans et sustentans, mihi miserae mulieri, mihi poenitenti unicum saltem responde verbum. Et probo auctoritate tui prophetae Isaiae, quia debes respondere. Sic enim Pater de te peccatoribus per ipsum promittit, dicens: *Verbum, inquit, meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his ad quae misi illud (Is 55, 11)*. Et quid Pater voluit? Utique, ut poenitentem susciperes, verbum misericordiae responderes. Nonne tu dixisti: *Cibus meus est ut faciam voluntatem eius qui misit me? (Io 4, 34)*. Miserere ergo mei, fili David; responde verbum, o Patris Verbum.

Item, probo auctoritate tui prophetae Zachariae, quia debes misereri et respondere. Sic enim de te prophetavit: *In die, inquit, illa erit fons patens domui David, in ablutionem peccatoris et menstruatae (Zach 13, 1)*. O fons pietatis et misericordiae, qui natus fuisti de terra benedicta, Virgine scilicet Maria, quae fuit de domo David et familia, abluere sordes peccatoris et menstruatae. *Miserere ergo mei, fili David, filia mea male a daemonio vexatur.*

Quare Verbum non respondit verbum? Certe, ut ad maiorem compunctionem, maioris doloris stimulum excitet poenitentis animum. Unde de ipso sponsa loquitur in Canticis: *Quaesivi et non inveni illum; vocavi et non respondit mihi (Cant 5, 6)*.

15. --- Sed mulier ista Chananaea quo dolore doleat, apertius videamus. *Filia, inquit, mea male a daemonio vexatur*. De qua vexatione habes concordantiam in historia praesentis dominicae, ubi dicitur: *Egressa est Dina filia Liae, ut videret mulieres regionis illius. Quam cum vidisset Sichem filius Hemor Hevaei, princeps terrae illius, adamavit et rapuit; et dormivit cum illa, vi opprimens virginem. Et conglutinata est anima eius cum ea (Gen 34, 1-3)*. Ecce quomodo *filia mea male a daemonio vexatur*. Lia interpretatur laboriosa; Dina, causa vel iudicium. Lia est anima poenitentis, quae, poenitentiae operibus insistens, laborat, dicens cum Propheta: *Laboravi in gemitu meo etc. (Ps 6, 7)*. Haec est mulier Chananaea, quae interpretatur negotiatrix. Negotiatio animae poenitentis est mundum contemnere, carnem affligere, peccata praeterita deflere et iterum flenda non committere. Huius Chananaeae, sive Liae, filia est mens vel ipsius hominis conscientia, quae bene dicitur Dina, idest causa vel iudicium, quia causam peccatorum suorum debet ventilare vel proponere coram iudice, idest sacerdote, et iudicium sententiamque ab

ipso datam libentissime sustinere. Et attende quod in hoc loco mentem vel hominis conscientiam nihil aliud intelligo quam ipsius poenitentis animam. Diversae enim personae multoties in sacra pagina unum et idem repraesentant, utpote in isto loco mulier Chananaea et eius filia unius poenitentis animam moraliter significant.

16. --- De hac dicitur: *Egressa est Dina, ut videret mulieres regionis illius*. Mulieres regionis temporalium pulchritudinem, abundantiam, vanitatem et voluptatem huius mundi significant, quae ideo dicuntur mulieres, quia molliunt et effeminant mentes hominum. Unde dicitur in tertio libro Regum, quod mulieres averterunt cor Salomonis (Cf. 3 Reg 11, 3). Pulchritudo enim et abundantia temporalis infatuat cor sapientis. Ad has mulieres videndas infelix anima tunc egreditur, cum temporalium abundantia [et] pulchritudine delectatur; et sic infelici evenit quod sequitur: *Quam cum vidisset Sichem, filius Hemor Hevaei, princeps terrae illius, adamavit* etc. Sichem, labor, Hemor, asinus; Hevaeus, ferus vel pessimus interpretatur.

Sichem est diabolus, qui semper laborat, ut inique agat: *Circuivi, inquit, terram et perambulavi eam (Iob 2, 2)*. Hic dicitur filius Hemor Hevaei, quia stoliditate et ferocitate superbiae de angelo diabolus, de filio excelsae gloriae factus est filius mortis aeternae. Hic dicitur princeps terrae, idest illorum *qui terrena sapiunt (Phil 3, 19)*. *Princeps, inquit Dominus, huius mundi eicietur foras (Io 12, 31)*. Iste dum infelicem animam, quae causam et iudicium suum deberet pro peccatis suis portare, per temporalium vanitates evagari conspicit, facit ei quod sequitur: *Adamavit et rapuit et dormivit cum illa, vi opprimens virginem, et conglutinata est anima eius cum ea*.

Nota verba: Diabolus animam adamat, cum ei

peccatum suggerit; rapit, cum ipsa suggestioni mente consentit; dormit cum illa et virginitate privat, cum praemeditatam malitiam foras in opus producit. Anima eius conglutinatur cum ea, cum, malae consuetudinis glutino, captiva et ligata tenetur. Ecce quam male filia mea a daemonio vexatur. *Miserere ergo mei, fili David, quia filia mea male a daemonio, a Sichem filio Hemor Hevaei, vexatur. Et Dominus misertus, cuius misericordiae non est numerus, filiam, quae a daemonio vexabatur, mirabiliter liberavit.*

III - De liberatione filiae mulieris Chananaeae

17. --- Unde sequitur, in eadem Genesis historia: *Arreptis duo Iacob filii, Simeon et Levi fratres Dinae, gladiis, sunt ingressi urbem confidenter; interfectisque omnibus masculis, Hemor et Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem, sororem suam (Gen 34, 25-26).* Simeon interpretatur audiens tristitiam et significat cordis contritionem; Levi interpretatur additio et significat oris confessionem, quae debet addi cordis contritioni. Hi duo filii Iacob, idest viri poenitentis, et fratres Dinae, idest ipsius animae, debent arripere gladios divini amoris et timoris et interficere diabolum et ipsius superbiam et omnia quae ad ipsum pertinent, idest peccatum et circumstantiam peccati; et sic sororem suam, animam, in domo diaboli captivam et malae consuetudinis catena ligatam, poterunt liberare.

Rogemus ergo, carissimi, Dominum Iesum Christum, quatenus per suam sanctam misericordiam nobis concedat de mundi vanitate egredi et in partes Tyri et Sidonis, contritionis et confessionis sic ingredi, ut filia nostra, anima nostra, a diabolo et ipsius tentatione valeat liberari et in regni caelestis beatitudine collocari; ipso praestante, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Omnis homo dicat: Amen.